

3. καὶ ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα) & communio equidem (sanè) nostra est cum Patre.

6. *Quod societatem habemus cum eo*) Hoc dictum optimè quadrat in Jesuitas, qui se à Societate Jesu scribunt, & tamen in tenebris errorum & malitiæ vivunt & ambulant.

7. *Et sanguis &c.*) Part. *Et* h. l. est causalis, deum.

CAP. II.

Verf. 4.

Qui dicit: *Novi eum*) notitiâ practica, scil. amoris, credendo amo, h. e. credo in eum, &c. Conf. v. 3.

8. Iterum (rursus quasi) *præceptum novum scribo vobis*) i. e. Licet illud præceptum de amore Dei & proximi fit præceptum illud antiquum, ab initio per Mosen inculcatum, Conf. 2. Joh. v. 5. attamen iterum vobis præceptum illud *tanquam novum* præscribo, quia *jugi praxi* à vobis renovari debet, & *cordi novo* ac mundo, per digitum Spiritus S. inscribendum, Jer. 31, 33. & quia à Christo toties *repetitum*, atque omnibus seriò ab eo commendatum fuit, ejusdemque cura à scoriis & fermento Pharisaicarum corruptelarum repurgatum ac *renovatum*, juxta typum fractarum veterum & restauratarum novarum tabularum, quæ propterea secunda Lex dicuntur; unde tanto magis in hoc præceptum incumbere vos convenit. Ac nè imbecillitatem vestram prætendatis, ita porro de observatione præcepti hujus habete. *Quod est verum* (veritas) *in illo, etiam in vobis* (esse debet,) utpote membris ejus. Jam autem illa veritas atque sinceritas in illo ceu capite fuit, quod dilexerit Deum & nos omnes, adeo ut etiam vita in mortem pro nobis effusa, illum amorem affatim testatus fuerit. Ergò etiam illa sinceritas nobis tanquam membris inesse debet. Nam quod ad præterita tempora tenebrarum ignorantia atque impietatis attinet, sciatis, illa vos jam non amplius excusare posse: nam *tenebræ* harum imperfectionum *transiverunt*, & contra *Lux* Evangelii & Gratia vera *lucet*, qua accensa in cordibus nostris, quid nos deceat scire, atque ope Spiritus S. si non ex asse, tamen pro gratia nobis concessæ modulo, ex parte exequi possumus.

12. *Per nomen ejus*) i. e. per Christum, de quo tota hæc agit Epistola, quemque semper per Individuum Demonstrativum *δεντικῶ* nomine circumscribit D. Johannes.

12.13.14.